



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

3. Quos homines Spiritussanctus adiuuet: & eis ad sistat, vt vincantur
vitiosi motus.


urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

Promissus est spiritus sanctus, & datur in Baptif-
mo, vt adiuuet nostram infirmitatem, Rom. 6. Qua-
tenus expugnemus, ac mortificemus concupiscen-
tias carnis. Gubernat autem & iuuat non ociosos &
ignauos, sed repugnantes peccato, qui lugent & tri-
stantur, quòd sint in regno peccati, Matt. 5. Beati qui
lugent. Securos autem & obstinatos in peccatis, non
iuuat, sic iuuat Petrum Matth. 26. & non Iudam. Sic
vnum latronem, qui doluit de commissis peccatis, al-
tero relicto, Luc. 23. Sic iuuat peccatricem, Luc. 7. re-
licto Pharisæo. Sic iuuat fideles, relicto infidelibus,
&c. Si quis igitur peccauerit etiam mortaliter, re-
deat, Spiritum sanctum imploret, & peccatum expu-
gnet vt gratiam denuò recipiat, sicut Dauid. 2. Reg.
vlti. & Petrus Matth. 26. Primò, remissio peccatorum
precedit in iustificationis actu, deindè iustificatio da-
tur donum, id est, Spiritus sanctus in custodem reten-
tionemq; iustificationis per suos fructus & obedi-
entiam legis, Galat. 5.

CAPVT V.

ARGVMENTA.

1. *Vndè veniat homini fides Christi.*
2. *Quæ sit fides Christiana, & in quo funde-
tur,*
3. *Quomodo cognoscitur & testificatur vera fi-
des esse in homine.*

ERTum est quòd natura nostra ex seipsa
non potest rectè credere: idè oportet
vt iuuetur aliundè, propterea dicit Apo-
stolus Rom. 10. quòd fides est ex audi-
tu, scilicet verbi DEI: nam oportet
primùm, vt verbum DEI denuncietur, & audiat,
sicut Ioann. tertio. Sic Deus dilexit mundum, vt
B 2 filium